76.

DEO DIRECTORE,

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

de

ANASARCA,

Authoritate, & Consensu unanimi GRATIOSISSIMI Medicorum Lipsiensium Collegii,

Pro impetrandis in hac Arte Privilegiis, & HONORIBUS DOCTORALIBUS,

in ipso Promotionis Actu oblata,

&

PRO LOCO in eodem Collegio obtinendo postmodum habenda,

à

L. Gottfried Welsch/ designato Anatomiæ Profess. Extraord.

LIPSIÆ,

Imprimebant Hæredes FRIDERICI LANCKISCH.

Um Hydrops Anasarca non tantum E-pati inhæreat, sed toti venoso generi corporisq; habitui impressum malum sit, non inconvenienter in præliminari hu- Disputationis qvæsivisse videmur,

An in Anasarcâ venam secare liceat?

Thesis 1.

GRæcum *Hydropis* vocabulum, qvod ab ὕδωρ & ὤψ (qvia (*a*) palpebræ, oculorum partes, in hoc affectu, & præsertim in *Anasarca*, qvæ κατ' ἐξοχὴν (*b*) *Hydrops* dicitur, tumidæ imprimis observantur) derivari videtur, & â Galeno, reliqvisq; Græcis modò *hydrosis*, modò *hydropisis*, Barbaris *hydropisia*, Latinis *aqva intercus, aqva inter cutem*, Germanis die Wassersucht vocatur, Hippocrati, & Galeno ambiguum est, & modò serosam illam, & mucosam (*c*) profluviem, qvam parturientes cum fœtu per uterum secernunt, modò verò Urinæ p. n. (*d*) profluvium (Diabeten) significat, & Hydrops ad matulum dicitur, ac in genere (*e*) aqvosi, & serosi humoris abundantiam, & collectionem denotat.

(*a*) Gal. 6. de loc. aff. c. 5. Avicenn. l. 3 fen 14, tract 3. c. 8. Francisc. de Pedemont in libr. 2. Mesuæ de ægritud. Hep. c. 13, Holler. l. 1. de morb. intern. in schol ad cap. 39.

(*b*) Hipp. l. de nat. Puer.

(*c*) Gal. l. 3. de caus. sympt. Aet. sermon. 11. c. 1. de Diabet.

(*d*) Cels. l. 3. c. 21. qvi sub hâc tanqvam genere, reliqvas complectitur species.

(*e*) Sennert. l. 3. part 6. Sect. 2. cap. 3.

 Th. 2.

Th. 2.

Propriè verò acceptum â Medicis eum denotat corporis humani affectum, qvi (sive illum inter (*a*) Symptomatum, sive (*b*) morborum genera referas) solius Epatis (*c*) vitio accidit, semperq: id affectum conseqvitur, & generali vocabulo *Hydrops* vocatur;

(*a*) Gal. de Sympt. diff. 4.
(*b*) Meth. med. 3. Cels. l, 3. c. 21.
(*c*) Gal. l 5. de loc, aff cap. 7. Vid. Vid. l. 10. de Cur. membrat. cap. 5. Christoph. â Vegâ l. 2. Progn. Hipp. in explicat. Prognost. 1.

Th. 3.

Verè enim *Hydropis* vocabulum genericum est, cùm suas sub se complectatur Species; qvarum alij (*a*) *qvatuor*, alij (*b*) *duas*, alij (*c*) *tres*, & *has* qvidem *præcipuas* & *vulgatas*, partim *loco*, sive (*d*) *affectâ parte*, partim *materia*, sive *caussâ* differentes, *Asciten* puta, *Tympaniten*, & *Anasarcam* recensent, & his particulares illos peculiarium partium (*e*) *capitis sc.* (*f*) *Pulmonum*, (*g*) *Uteri &c.* *hydropes* annumerant;

(*a*) Gal. 4. de acut. 3. & 4. de loc Aff 7. Aretæ. l. 4. c. 1. Arnold de Vill. novâ l. 2. Breviar. c. 30. Mercat. l. 4. de intern. morb. curat. c. 6.
(*b*) Gal. cit de acut. 11. l. de tum. p. n. cap 16. Paul. l. 3. Aët. tetr. 3. serm. 2. cap 20. c. 48 & l. 10. c. 20. Avicenn. l. 3. fen. 14. tract 4. Alexand l 9. cap. 1. Cels. l. 3. c. 21. Christoph. â Vega l. 3. de art. med. cap 10. Rondelet. l. 3. meth. curand. morb. c. 36. & plurimi.
(*c*) Mercat. l. 4. de Intern. morb. curat, cap. 6, Holler. l. 1. de morb. intern. cap. 39.

(*d*) de

(*d*) de qvo Sennert. Prax. l. *1*. part. *1*. cap. 28.
(*e*) de qvoidem Sennert. Prax l. *2*.
(*f*) do qvo Hipp. l. 4. de morb. & l. de morb. mul. Aët. l. ult. c. 97 & alii.
(*g*) Hipp. 4. de rat. vict. in acut. text. 3.

Th. 4.

Omnes autem hasce species impræsentiarum nec tangimus, nec multùm attendimus, sed tertiæ *Hydropis* propriè sic dicti speciei *Naturam*, *Subjectum*, *Caussas*, *Signa*, & per *Indicationes* inventam *Curationem* ordine nunc, sed breviter tradimus.

Th. 5.

Ipsum autem dum inspicimus Affectûs hujus titulum, in ipsius assignatione Synonymâ vocabulorum (*a*) varietate delectatos fuisse veteres rerum Medicarum Scriptores apertè constat, dum Affectum hunc modò *leucophlegmatiam*, modò *aqvam* (*b*) *inter cutem*, modò *sarciten*, modò *catasarcam*, modò *hyposarcam*, modò *anasarcam*, salutare consveti sunt; cùm tamen, rem ipsam si spectes, nulla illorum uel Loci, vel materiæ ratione sit differentia, nulla detur (*c*) diversitas; Qvorum ultimum, ab *ἀνὰ* & *σάρξ Anasarca* dictum, cùm magis arrideat nobis, hujus nostræ Disputationis esto titulus;

(*a*) Hipp. 7 Aph. 29. Paul. l. 3 c 48 & l. *10* c. 20. Mercat. l. 4. de morb. cur. c. 6. Mercurial. l. 3. de Aff. infim. vent. cap. 24. Christoph à Vegâ l. *2*. Prognost. Hipp Progn. *1* Holler. l. *1*. de morb. intern. cap. 39. Sennert. l. 3. Prax. part. 6. sect. 2. dap. 3.
(*b*) Cornel. Cels l. 3. cap. *21*. qvi primus est hujus denominationis Author.
(*c*) Sennert. loc. cit.

 Th. 6.

Th. 6.

Est verò *Hydrops Anasarca cœdematosus totius Corporis tumor, ab humore pituitoso in Epate, & venis p. n. generato, & in toto corporis habitu collecto, ac retento.*

Galen *1.* Acut. & alibi. Vid. Vid. l. *10.* c. *5.* & alii supra citati.

Th. 7.

Qvæ Definitio *Genere* constat *adæqvato*, *Subjecto proprio*, *Differentiâ*, & *Efficiente causâ.*

Th. 8.

Genus Definitionis est *tumor*; qvi est (*a*) morbus in extensâ, vel auctâ magnitudine consistens; qvam extensam magnitudinem in *Hydrope Anasarcâ* vel in toto corpore, vel præcipuè in pedibus cuivis cernere licet.

(*a*) Fallop. tract. de tum. p. n. cap. 3.

Th. 9.

Subjectum proprium est Epar, & totus Corporis habitus.

Th. 10.

Differt â reliqvis tumoribus in genere, qvod *hic* totum æqvaliter corpus, reliqvi verò hanc vel illam tantum corporis partem obsideant. In specie verò ab *Ascite*, & *Tympanite*, qvod Abdomen in Ascite aqvoso humore, in Tympanite flatu & vento, in *Anasarcâ* verò totum corpus aqvâ tumeat. *Anasarca* item alia per Essentiam, & proprium Epatis Affectum, alia per Consensum vicinarum (*a*) partium; Alia hæreditaria, alia pôst contracta; Alia recens & curabilis, alia inveterata & incurabilis est.

(*a*) qvas diligenter enumerat Gal. l. d.

Th. 11.

Th. 11.

Caussarum Hydropem Anasarcam Efficientium aliæ sunt *Externæ*, aliæ *Internæ*; & harum aliæ *Antecedentes*, *Continentes* aliæ.

Th. 12.

Externas & *Procatarcticas* sex illæ res Medicis non naturales dictæ suggerunt, qvatenus videlicet illarum usus illegitimus, & intempestivus Epatis tonum destruere, illudq; refrigerando nimis ipsius Actionem invertere valet; qvas omnes duabus includimus classibus, qvarum altera *Assumpta*, altera *Excreta*, & *Retenta* continet.

Th. 13.

Ex *Assumptorum* classe post (*a*) autumnalem Aëris constitutionem, alimentorumq; frigidorum esum, primates obtinere videtur eckcedēs(*b*) frigidæ potus, præsertim post labores, vel aliud vehementi corporis exercitiū, & motum, ubi calor nat. apertis ob exercitii vim poris, ad externas corporis partes expanditur, pusillus autem, qvi in visceribus remanet, occurrenti frigiditati sufficere & resistere minimè potest. Cùm enim frigidum corpora nostra nimiùm lædat, qvia Calorem, cui adversum est, vehementer debilitat, Facultates enervat, coctionem vitiat, cruditatesq; generat, hinc fit, ut, si qvis post exercitium gelidam, qvæ (*c*) noxâ non caret, & frigidos (*d*) morbos generat, copiosè bibat, & ingurgitet, officina coctionis vehementer refrigeretur, vires prosternantur, alimentum assumtum neq; coqvatur, neq; digeratur, neq; in sangvinem, sed frigidum, & crudum succum convertatur, qvi per venas in totum corporis habitum dispersus, ibidemq; collectus, & retentus *anasarcam* facit. Cujus

rei

rei historiam refert Zacut. (*e*) Lusitan. qvi qvendam vidit ab exercitio vehementiore in æstate subitò, & superabundanter de aqvâ frigidâ pluries sumere, qvi posteà carnosum, ut ille loqvitur, hydropem passus est; Exempla alia apud (*f*) Alios.

(*a*) Hipp. s.3. Aph. 22.
(*b*) Gal.5. de loc. cap.3. & 6. de loc. cap. 1. Avic. l. 3. fen. 14. tr. 3. cap. 8.
(*c*) Gal. in Comm. de salubr. Diæt. num. 12.
(*d*) Gal. 2. de diff. morb. cap. 3. & 3. de temperam. 3.
(*e*) l. 2. de Med. Princip. Hist. hist. 119 Rhasis.
(*f*) Victor Trincavell. Consil. 3. Consil. 30.

Th. 14

Hûc referenda sunt & ea, qvæ ab innatâ qvâdam proprietate, seu, ut Medicè magis, occultâ qvalitate *hydropem* inducere dicuntur; qvale qvid (*a*) *mandragora*, *cicuta*, (*b*) *bupestris* item esse creduntur.

(*a*) Mercurial. l. 3. de Aff. infim. ventr. c. 24.
(*b*) Aretæ l. 4. cap. 1.

Th. 15.

Nec minor qvoq;, nisi major, ex alterâ *Retentorum* sc. & *Excretorum* classe ansa succrescit huic malo, & occasio. Ità enim ferunt Naturæ leges & consvetudo, ut redundans in corpore sangvis statâ in qvibusdam periodo, uti menstrua mulierum purgatio, aliis verò indifferenter & pro auctâ sangvinis copiâ per Nares, aliis per Venas ani hæmorrhoides dictas excernatur, & purgetur; Qvæ res qvot usûs, qvot commoda sanitati confert, si sec. nat. est; tot mala, tot insidias, tot incommoda, si præt. nat. est, corpori nostro inferre certum est; qvod oraculo qvodam

dam prædixisse videtur (*a*) Hippocrates, testantur (*b*) Alij. Utraq; enim hæc vitia, sive consvetarum per circuitûs evacuationum suppresſionem, sive excedentem per nimium illarum fluxum inanitionem spectes, viscera naturalia, Eparq; imprimis refrigerare, & aqvam inter cutem operari maximè valent, ita qvidem, ut hæc per se nativam corporis calorem, qvi in Sangvine suam habet (*c*) perseverantiam, minuat, Epatiq; imprimis insignem imprimat frigiditatis excessum, illa verò per accidens, eatenus sc. qvatenus Calor nat. partium retentorum copiâ obruitur, & (*d*) ignis instar, immissis ipsi lignis tùm humidis, tùm multis, extingvitur. Exemplo est *Trajanus Imperator*, qvem ob retentas hæmorrhoides hydropicum factum, ab eô verò semel liberatum, ex recidivâ tandem mortuum esse refert Dion. Cass. de qvâ re plures legantur apud (*e*) Authores Historiæ.

(*a*) 6. Epid. s. 3. text. 37. l. de morb. n. 6. & 7. l de morb. Virgin. num. 1. 2. & 3.
(*b*) Gal. 6. de Loc. cap. 5 2. de fac. nat. cap. 8 de ven. sect. adversus Erasistr. cap. 6. Mercat. l. 5. de morb. mul. cap. 5.
(*c*) Zacut. Lusit. l. 2. de Med. Princip. histor. histor. 116. Rhas.
(*d*) Gal 4 de rat. vict. in acut. com. 3.
(*e*) Schenck l. 3. Observat. Medicinal. p. 475 & 476. Petrus Forest. Observat. l. 19. de Epat. Affectibus observat. 34. & 35.

Th. 16.

Caussæ internæ Antecedentes hujus Affectûs sunt 1. *Morbi* (*à*) *omnes*, qvi vel magnitudine, & vehementiâ, vel durationis diuturnitate malam in Epate dispositionem operari, nativum Epatis imprimis, & totius corporis calo-

 rem

rem imminuere, eũmq; imbecillem, & debilem reddere valent; idq; vel per se, vel per consensum. Per se, qvando essentialiter patitur, & affectum est Epar, obstructum puta, (*b*) Scirrhosum, vel inflammatum; Per Consensum verò, qvando ab aliarum partium nutritioni imprimis inservientium morbis hydropica Epati infertur dispositio; Sic scirrhosus (*c*) Lien, dum ob morbosam sui constitutionem sangvinem non repurgando ipsam sangvificationem impedit, hydropem facit; Sic magnus (*d*) Lien, dum ab insitâ familiaritate justo majorem prolectat humorum melancholicorum copiam, unde tumores, & hinc Epatis vicini visceris refrigeratio, hydropis caussa esse potest; Sic (*e*) Renes ob attractricis imbecillitatem sangvinem à sero non purgantes, sed impurum illum, aqvosum, & nutriendis partibus prorsus ineptum reddentes hydropi materiam præbent; Sic, qvod majus est, ad Empyema, & Phthisin hydropem consecutum fuisse testatur Marcell. Donat. Hist. mirab. l. 4. cap. 21.

(*a*) Galen. 2. Prognost. com. 1. & 6. de loc. aff. cap. 1. Avic. l. 3. fen. 14. tract. 4. cap. 4. Mercurial. l. 3. de Aff. infim. ventr. cap. 24. Holler. l. suprà citat.

(*b*) Hipp. 4. de præsag. 9. Zacut. Lusit. Prax. hist. l. 8. cap. 15.

(*c*) Avicenn. cit. l.

(*d*) Galen. 3. de causs. sympt. cap. 2. Trallian. l. 9. cap. 3.

(*e*) Avicenn. ibid. Marcell. Donat. loc. cit.

Th. 17.

2. *Complexio nat. Epatis & totius corporis frigida*; cujus ratione, sexum si spectes, mulieres, si ætatem, Pueros *hydrope* anasarcâ magis laborare asserimus.

Th. 18.

Et 3. *Naturalis, & hæreditaria dispositio.* Etenim si cal-

calculosi calculosos, Podagrici Podagricos, Epileptici Epilepticos generant, qvanto verisimilius est *hydropicos* generare *hydropicos?* Cùm illi Affectûs particulares tantùm sint, hic verò universum corpus obsideat. Si enim sangvis materiale est seminis Principium, ille autem in hydropicis crudus, & impurus, tale omninò qvoq; generabitur in ipsis semen, cujus, ut materialis fœtûs principii, impressam, & congenitam à Parentibus *hydropicis hydropicam* formam, & dispositionem talem efformare fœtum, qvale fuit ipsius *Principium*, rationi haut dissonum est. Ab Antiqvioribus more receptum fuisse refert Plutarchus, ut, qvotiescunq; hydrope aliqvis interibat, ipsius filios tamdiu pedes in aqva detinere curarent, qvousq; corpus defuncti Parentis cremaretur, id sibi persvadentes, evitari hoc modo, qvo minus filii iis caperentur morbis, qvibus interibant Parentes; Qvod, cùm affectum hunc à Parentibus filiis communicari posse doceat, hîc annectere placuit.

Th. 19.

Sed, si rem paucis contrahamus, *Proximam & immediatam Anasarca Antecedentem caussam* esse (*a*) *habitualem Epatis* (*b*) *refrigerationem,* sive caloris nat. defectum, & læsam inde sangvificationis actionem ex suprà dictis colligimus; ità, ut (*c*) nemo, nisi cui Epar affectum sit, fieri possit hydropicus, ille verò Epatis (*d*) Affectus sola sit nativi ipsis caloris debilitas, indeq; prognata intemperies frigida, & sangvificationis læsio.

(*a*) Gal. 5. de loc. 7.

(*b*) Gal. 3. de loc. 2. & 2. de fac. nat 8. Avicenn. l. 3. fen. 14. tract. 4. c. 4. Aët. tetrab. 3. serm. 2. c. 20. Trall. l. 9. cap. 1. & 3. Zacut. Lusitan. Prax. hist. l. 8. cap. 15.

(*c*) Gal. cit. 5. de loc. 7.
(*d*) Idem l. 4. 5. & 6. de loc. Aff.

Th. 20.

Non enim (*a*) aliorum hîc obstant nobis opiniones, & sententiæ, fieri sc. *hydropem* non minus â caussâ calidâ qvàm à frigidâ; cùm illud non per se, & immediatè, sed per (*b*) Accidens, & mediatè evenire certum sit; ità, ut appositè loqvi videatur (*c*) D. Sennert. p. m. dum qvenqvam à caussâ calidâ (per se sc. & immediatè) in Anasarcam incidisse haut compertum esse ait.

(*a*) Avenzoar. l. 1. tr. 13. c. 1. Steph. Athenæ. in com. 2. Prognost. Averr. 3. collect. 1. & alii qvamplurimi.
(*b*) Zacut Lusitan. de Med. Princip. Hist. l. 2. histor. 122. dub. 68.
(*e*) Prax. l. 3. part. 6. Sect. 2. c. 5.

Th. 21.

Caussa continens, qvæ est proxima hujus tumoris Efficiens Caussa, in definitione suprà expressa est, *humor* sc. *pituitosus* in Epate, & venis refrigeratis generatus, ac in toto corpore collectus, ac retentus.

Th. 22.

Hinc tali modo *Anasarcam* fieri conjicimus: Epar, qvemadmodum dum sec. nat. est, sincerum, & partium nutriendarum aptum generat sangvinem, ità dum à suprà relatis caussis p. n. refrigeratur, boni, & inculpati sangvinis loco frigidum, & pituitosum producit succum, qvi deinde per venas Epatis, qvæ aliàs sangvinem nutriendis partibus communicare solent, cum sangvine in totum corpus dispergitur, venasq; vel eo (*a*) modo, qvo per rariores panni partes humor percolatus transit, vel

factâ

factâ ob copiam aqvæ venarum anastomosi in poris, ac meatibus totius habitûs colligitur, collectusq; tandem membris adhærens, ac circà ea concrescens, universale qvoddam totius corporis (*b*) œdema producit. Et hæc de *Naturâ*, *Subjecto*, *Caussis*, & *generationis modo*; Seqvuntur nunc *Signa*, & hæc ipsa tandem Anasarcæ curatio.

(*a*) Avicenn. l. multoties cit.

(*b*) Gal. 3. de Causs. sympt. cap. 1. & 2. Hieron. Capivacc. l. 3. Prax. c. 19.

Thesis 23.

Signa, qvæ vel Affectûs hujus *Diagnosin*, vel ipsius eventûs *Prognosin* insinuant, duplicia sunt; *Diagnostica* & *Prognostica*.

Th. 24.

Diagnosticorum primum est corporis totius, & Pedum imprimis, *tumor*. Totum enim corpus (*a*) æqvaliintumescit, molle, & tumidâ inflatione (qvàm (*b*) Avicenna abusivè pingvedinem vocat) laxum est, humidoq; tumore veluti madidum apparet, ità, ut spongiæ (*c*) modo humorem imbibisse videatur; cui si vel manum, vel digitum admittas, illudq; premas, impressæ manûs, vel digiti semper remanet figura, (*d*) & vestigium, præsertim cùm humor, qvi pressus tardè regreditur, (*e*) crassiusculus est. (*f*) Pedes verò tumidiores apparent reliqvo corpore, & imprimis vesperi, & post (*g*) exercitium, & cum diu declives fuerint, vel qvia â fonte, & Principio caloris nativi remotiores sunt, qvi, qvod contrarium, & noxium sibi est, ad remotiores partes detrudere solet, vel qvia, cùm sint columnarum instar totam corporis

 molem

molem ſuſtentantium, per labores interdiu fatigantur, & fatigati poſteà ad inferiores ruentium humorum fluxum facilius recipiunt; Accedit & hoc, qvod, cùm caloris ſubſtantia in ſangvine præcipuè conſiſtat, ipſi autem pedes ex pluribus oſſibus, nervis, ac cartilaginibus compoſiti, & conſtructi (*b*) exſangves ſint, & paucâ carne conſtent, & iccircò facilius tumor in pedibus excitari, & foveri poſſit. Cur verò non ipſæ qvoq; (*i*) manûs ita tumeant, eæ præcipuæ videntur eſſe rationes; qvòd illæ vel non ità remotæ â fonte caloris ſpirituum, & ſangvinis motu ſurſum facto foveantur magis, qvam pedes; vel crebriori exercitio, & motu excrementa diſcutiant, & diſſipent; qvâ de causſâ inferiorem oculorum palpebram ſuperiore tumidiorem obſervamus;

(*a*) qvod Pathognom. eſt hujus affectûs ſignum.
(*b*) l 3. fen. 14. tr. 4. *cap.* 10.
(*c*) Chriſtoph. â Vega l, 3. de art. med. c. 13.
(*d*) Mercurial. l 3. de aff. infim. ventr. c 24. Mercat. l. 4. de intern. morb. cur. cap. 6. Sennert. Prax. l. 3. part. 6. ſect. 2. cap. 5.
(*e*) Fernel. l. 6. de part. morb. & ſympt. cap 8.
(*f*) Gal. 2 Prognoſt. com. 3. Meſues de ægrit. Epat. cap. 13. Mercurial. cit. lib. & cap.
(*g*) Idem Fernel. ibid.
(*h*) Roder. â Fonſec. Conſult. Med. lib. 1. Conſult. 29. Zacut. Luſit. Prax Hiſt. l. 8. cap. 15.
(*i*) Zacut. l. c.

Th: 25.

Fœda adeſt *faciei, & totius corporis decoloratio*; Albidiores enim, pallidi, aſpectu (*a*) injucundi, imò ipſis mortuis (*b*) ſimiles ſunt hydropici; qvia vitioſi intùs latent

tent ſucci, nec ſangvis in vaſis ſaturato rubore nitet, calorq; partium ob inopiam puri, & ſinceri ſangvinis ferè extinctus, & totum corpus ad extremam q. & permanentem frigiditatem redactum eſt;

(*a*) Aretæ l 4 de ſign & cauſſ. morb. diut. c. *i*.
(*b*) Fernel & Mercat. l ſuprà cit Sennert. l. c.
(*c*) Zacut. Luſ l. 4. de Med. Princip. hiſt. p. 127.

Th. 26.

Accedit *inſignis Virium jactura, & proſtratio*. Cum enim ob læſum in hoc Affectu ſangvificationis opus ipſa impediatur, & lædatur partium nutritio, de qvâ ſolâ, vires ne exſolverentur, ſagax nobis proſpexit Naturæ conſilium, fieri aliter non poteſt, qvin ob defectum nutritionis ipſa qvoq; in *hydrope* deficiant, & proſternantur vires, & ità qvidem, ut *hydropici* ad actiones omnes impotentes, inepti, exſoluti, & enervati q. minimo labore frangantur;

Th. 27.

Febris, cùm humores putreſcere incipiunt, *lenta*; *Sitis* (*a*) *clamoſa*, & aſſiduum, præſertim in malo confirmato, ac intolerabile urget bibendi deſiderium. Etſi e- ,, nim corpus, & ad id attinentes partes humore nimio im- ,, butæ ſint, unde minus ſitire ægri debebant, tamen aqvea ,, illa humiditas ſalſa, acris, & vitioſa eſt, & morâ tùm ca- ,, lidior, tùm vitioſior redditur, â qva ſitis inducitur, qvæ ,, ingeſto potu non extingvitur, etiamſi totus ventriculus ,, humore perfundatur, ità, ut, qvo plus bibant, eò magis ,, exacerbetur ipſorum bibendi deſideriũ, & cupiditas, ac

Creſcat indulgens ſibi dirus Hydrops.

(*a*) Avicenn. l. 3. fen. 14. tract. 3. c. 8.

Th. 28.

Th. 28.

Difficulter respirant, partim propter impedimentum omnibus partibus organicis respirationi inservientibus ab humoribus ipsis impactis illatum; partim verò ob auctam Epatis molem, qvâ diaphragma premitur, atq; offenditur, ne liberè moveri valeat;

Th. 29.

Appetitus in Principio ob nimiam (*a*) in visceribus reconditam humiditatem *langvidus*; in fine veró, cùm acorem contrahit cruditas, *intensior* est;

(*a*) Francisc. Valler. l. 3. Observat.

Th. 30.

Pulsus langvidus, & propter humiditatum in toto corpore redundantiam *mollis*, & *undosus* est;

Gall. 4. de caussis puls. c. 24.

Th. 31.

Urina, ob ipsius materiæ in reliqvum corpus motum, & collectionem, *pauca*; ob coctionis debilitatem, potumq; largiorem, *tenuis*, *cruda*, & *alba*; interdum tamen â læsâ seri â sangvine secretione *rubra* apparet;

Th. 32.

Alvi excrementa, ob læsam coctionem, & digestionem, humiditatisq; ad habitum potius, qvàm ad intestina corrivationem *pauca*, & *dura* ægrè excernuntur;

Th. 33.

Interdum etiam, ob humiditatis acris, & putridæ abun-

abundantiam, in habitum corporis diffusam, in hydropicorum corporibus *fœda*, & curatu (*a*) difficilia generantur (*b*) *ulcuscula*.

(*a*) Gal. in com. l. de tum. c. 20. 7. Aph. com. 71.
(*b*) Hipp. Aph. 8. sect 6.

Th. 34.

Signa caussarum vel ex ipsius hydropici, in vitam sc. & sanitatem ipsius diligenter inqvirando, vel ab adstantium qvæsitorum relatu facili negotio patent.

Th. 35.

Jam qvid sperandum, qvid expectandum sit *Hydropicis*, alterum Signorum genus, *Prognosis* vid. docet, & exponit:

Th. 36.

Scilicet in hoc Affectu, si factus jam, & confirmatus est, parum restat spei, parum solatii; ità ut non modò in (*a*) lethalium morborum numerum referatur, sed cùm hominem aggreditur, præsertim si ex morbo (*b*) acuto est, & tussis (*b*) valida, & contumax supervenit, (*c*) interficere illum dicatur. Viscus siqvidem ad vitæ sustentationem summoperè necessarium affectum est, qvo fit, ut plerosq; hydropicos, postqvam miserè satis aliqvandiu vixerint, emori tandem, & (*d*) suffocari videamus, & si liberari qvosdam contingat, *id* (*e*) *Dei potius, qvàm Artis auxilio* adscribendum sit. Interim tamen desperandum semper non est, cùm Naturæ imprimis hic attendenda sit bonitas, qvæ interdum transmissâ è venis in ventrem materiâ per (*f*) diarrhæam solvere morbum

 assolet;

as solet; Bonâ ergò spe erigantur hydropici, & tententur ea omnia, qvæ Ars certâ tradit ac docet methodo; præsertim cùm morbus nondum confirmatus, aut inveteratus, & non proprio Epatis, sed aliarum partium vitio sit; viresq; morbo sufficientes futuræ videantur.[i] Et hæc qvoq; de utrisq; signis sunto.

(a) Hipp. l. 1. de morb.
(b) idem in Coac. prænot.
(c) idem Aph 35. s. 6. & aph. 41. sect 7.
(d) Hipp. 4. Acut text. 3.
(e) Hipp. 2. Prognost. & 4. acut. 3. Cels. l. 3. c. 21. Cœl. Aurel l. 3. tard. pass. c. 8.
(f) Gal. 6. Aph com. 35.
(g) Vid. Vid. Zacut. Lus. l. c, & Alii.
(h) Hipp. Aph. 14. sect 6.
(i) Hipp. aph. 29. sect. 7.

Th. 37.

Nunc cùm de ipsâ tandem *hydropis curatione* deliberandum est, ne varium, nec incertum qvid, Empiricorum more, tentasse videamur, invenienda imprimis sunt lege methodi certa, & ad scopum directa instrumenta, qvibus id, qvod conamur, effectum dare, & in patientis salutem salutariter expedire possimus. *Indicationes* autem sunt ea ipsa instrumenta, illa organa, qvibus rationaliter inventis rationalem, & methodicam possumus tradere cujuslibet morbi curationem. Præsens ergò *morbus*, qvia p. n. qvid est, in genere sui ablationem, sanitatisq; restitutionem indicat; *caussa* verò, & ægrotantis *vires*, cùm ab illâ omnis dependeat, & foveatur illata corpori noxa, ab his verò, si superari, & prosterni eas â morbo contingat, ipsa periclitetur vita, duplices indicationes

mon-

monstrant; *Caussa* qvidem sui per accommodata & convenientia remedia remotionē, pituitosorum sc. humorum evacuationem, & absumptionem; *Vires* autem sui refocillationem, & restitutionem, partiumq; debilitatarum, Epatis imprimis corroborationem indicant.

Th. 38.

Qvorum Præsidiorum materiam partim *Diæta*, partim *Pharmacia*, partim verò *Chirurgia* nobis suppeditat.

Th. 39.

Sit ergò, ut *Diœtam* primò præscribamus, illa, qvoad qvidem fieri potest, accurata, & legitima, caussæq; contraria:

Th. 40.

Aër calidior, & siccior, serenus, non ventosus, aut crassus, nec pluviosus, nec Autumnali similis, convenit.

Th. 41.

Alimenta solida potius, qvam liqvida, & coctu facilia sint: Panis benè fermentatus, & studiosè coctus, qvi, dum subagitur, sem. anis. vel coriandr. recipiat; micæ ejus præferendus (*a*) cortex; laudatur (*b*) bis coctus, Panis (*b*) nauticus, vel (*c*) clibanaceus dictus, qvod exsiccet, & humiditates vehementer absumat.

(*a*) h. Cristoph. Vega. l. 3. de art. med. c 13.
(*b*) Mercurial. l. 3. de aff. infim. ventr. c. 24. Zacut. Lusit. l. 2. de Med. Princip. Hist. hist. 117.
(*c*) Mes. de ægrit. Hepat. cap. 13.

Th. 42.

Carnes ſint avium montanarum, turturum, perdicum novellarum, attagenarum, turdorum, merularum, asſæ potius, qvam elixæ; *Piſces* omnes fugiendi; Cibi condiantur menth. ſerpill. ſalv. roſmarin. rad. apii. petroſel. fœnic. gramin. ſem. aniſ. fœn. coriandr. ſale, piper. Zingib. cinam. caryophill. macer &c. Victus in genere tenuis & talis, (*a*) qvalis præſcribitur illis, qvi decoct. ligni bibunt, vel inedia potius recommendetur hydropicis; vel ad minimum tamen juſta præſcribatur ciborum qvantitas, ne, ſi plus offeratur, qvàm qvod juſtum eſt, malum, & causſa mali augeatur, ſi minus vires proſternantur, & dejiciantur.

(*a*) Sennert. l. c. & alii.

Th. 43.

Potus ſit vinum vetus, meracisſ. album, tenue, odoriferum, medicatum eupat. abſinthit. ſalviat. &c. qvo parcius tamen, eò utilius; cùm ſæpè ſolâ potûs parſimoniâ, & bonâ victûs ratione curati fuerint hydropici. Sic *Julius* (*a*) *Eqves Romanus* hydropicus interdicto per totam vitam potu curatus eſt; Sic (*b*) *Ruſticus* qvidam hydropicus, dum per annum â potu abſtinuerit, liberatus eſt; Sic qvoſdam, cùm per 15. dies â potu abſtinuisſent, jubente Deo, ſanatos fuisſe, ait (*c*) Gal. *Aqvæ* non tantum interdicatur (*d*) *potus*, ſed ipſius etiam prohibeatur (*e*) *aſpectus*.

(*a*) Plin l. 7. c. 18.
(*b*) Beniven. de abdit. c. 13.
(*c*) l. 6. Epid ſ. 4 com. 8. & alia exempla videantur apud Vict. Trincavell. Conſil. l. 3. conſil. 32.

(*d*) Cor-

(d) Cornel Celſ. l. 1. c. 21.
(e) Avicenn. l. 3. fen. 14. tr. 4. cap. 14.

Th. 44.

Somnus conſveto ſit brevior; *Vigiliæ* largiores; talis tamen debet eſſe ſomnus, qvalis ad concoctiones poteſt eſſe ſufficiens, (a) *Lectus* non ſit admodum mollis, cùm ſatis ſuperq; (b) *Lecti* ſecum circumferant, mollem illam puta, œdematicam in toto corpore humorum colluviem; (c) *Pulvinaribus* ſubſterni posſunt puleg. calaminth. origan. cùm ſæpè ſanos qvoſdam ità abſconditos â ſomno ſurrexisſe obſervatum ſit;

(a) Victor. Trinçavell. Conſil. l. 3. conſil. 31.
(b) Idem lib. cit. conſil. 32.
(c) Idem ibid. & Petr. Foreſt. in ſchol. ad obſ. 32.

Th. 45.

Exercitium ſit multum, validum, & ſub (a) æſtivò ſole, cœlo ſereno, ac tranqvillo, omniq; (b) laborum genere, prout ferre qvidem posſunt, exerceantur *hydropici*; ſi verò febris adeſt, parciùs.

(a) Chriſtoph. â Vegâ l. c. & alii.
(b) Hipp. 2. & 5. Epid.

Th. 46.

Alvus, & veſica imprimis ſua qvotidie reddant excrementa, ſi non â naturâ, ſuccurrat Ars.

Th. 47.

Ad levem interdum concitari iracundiam non erit inutile.
Idem Trincavell. con. 31. ſil.

Th. 48.

Pharmacia, ſecundus remediorum fons, pro cauſſæ morbificæ remotione, Epatisq; corroboratione ſat amplam ſuggerit materiam, qvæ *alvum leniendo, humores præparando, præparatos evacuando, reliqvias vel per Urinam, vel per habitum corporis expellendo, Eparq; corroborando* uſui noſtro accommodari ſatis poteſt.

Theſis 49.

Alvus ſi durior eſt, *lenienda* eſt vel injecto Clyſt. ex decoct. ſpec. emoll. cum ol. emoll. ſacchar. thom. & pauco ſal. cum El. lenit. Florenz. diacathol. diaphœn. hier. ſ. bened. laxat. &c.

Th. 50.

Præparantia ſimplicia ſunt; rad. aperient. fol. cuſcut. eupat. ceterach. hyſſop. origan. beton. menth. calaminth. ſchænanth. ſtœch. fl. ſpic. ſem. fœn. aniſ. ſeſel. ammi &c. Ex qvib. decocta, & Apozemata uſui inſervientia arte præparari poſſunt; *Compoſita* verò: Syr. de eupat. de duab. & 5. rad. de cichor. cum rhab. de ſtœchad. de hyſſop. de calaminth. de beton. byzantin. oxymel. ſ. ſcillit. &c. cremor, & chryſtall. Tartar, ut & Tartarus vitriolat. &c.

Th. 51.

Purgantia leviora ſimplicia agar. mechoac. fol. ſen. rad. bryon, &c. *compoſita*. el. lenitiv. mel. roſ. ſolut. ſyr. diaſer. Andernac. pil. deammoniac. de rhab. trochis. de rhab. extr. Phlegmagog. qverc. &c.

Th. 52.

Th. 52.

Purgantia fortiora simplicia sunt: Gialap. Gummi gott. gran. till. soldanella. laureol. &c. (cujus (*a*) drachmam j. in acet. fort. per triduum infus. & pulverisat. cum syr. ros. exhibitam expertissimum esse remedium creditur) succ. irid. nostrat. esul. elater. s. succ. cucum. asinin. Euphorb. &c. *Composita:* Ipec. diaturbith. c. rhab. diacartham. El. Ind. syr. hydragog. Mynsichts. Pil. de Mezer. Mes. pulv. hydragog. Noriberg. &c.

(*a*) Arnold. Villanovan. Breviar. l. 2. c. 30.

Th. 53.

Emetica sunt: Decoct. rad. raph. Aq. fl. genist. bened. Rul. nuc. virid. cons. flor. persic. hydrolæ. vitriol. alb. vomit.

Th. 54.

Diuretica: Rad. petrosel. asparag. fœnic. rusc. Vincedox. hyperic. Alkekeng. Urtic. linar. bacc. juniper. lign. sassaf. (qvod (*a*) præ reliqvis hoc peculiare habet; ut ventriculi vires conservet, calidum innatum augeat ac roboret, modiceq; exsiccet.) Therebinth. sal. genist. fœnicul. gratiol. &c. spir. sal. therebinth. spir. & tinct. Tartari sal. ranar. & bufon. (*b*) in clibano exsiccat. ol. de bacc. juniper. in vino sumptum. (*c*) Cantharid. potus aq. thermal. &c.

(*a*) Senn. l. 3. Prax. part. 6. s. 2. c. 3.

(*b*) qvod commendat Solenander consil. med. 15. s. 5.

(*c*) conceduntur ab Hipp. l. 4. acut. & à Gal. l. 3. simplic. cap. 21. & Dioscorid. l. 2. c. 54. qvia non tantum interne sumptæ (præparatæ sc.) sed exterius pubi vel

coxis

coxis applicatæ promptisſimè urinam moveant, teſte Montagnan. Conſil. 182. c. 10. & Andr Baccio in proleg. ad venen. & antidot p. 21.

Th. 55.

Diaphoretica interna: Lign. ſanct. rad. Chin. card. bened. fl. Sambuc. Ebuli, &c. Aq. theriac. cum vino &c. Theriac. Andr. mithridat. &c. antim. diaph. bezoart. ☉ &c.

Th. 56.

Reliqva *externa*, qvæ per habitum corporis, ubi major pars peccantium humorum exiſtit reliqvias pellunt ac excutiunt, ſunt:

Th. 57.

1. *Balnea ſicca* (*a*) inſtuphationes ſc. evaporationes, Laconica; qvæ hunc in modum à (*b*) Meſ. depingi ſolent: In tineâ clausâ ſit tabula una perforata in medio ejus pluribus foraminibus, in qvâ ſtet patiens, & in fundo ſit aq. ſals. decoct. calaminth. origan. rut, ſabin. hysſop. &c. & in illam projiciantur lapides molares igniti, & recipiat fumum unâ exiſtente benè clausâ, & coopertâ, donec ſudet.

(*a*) Arnold. Villanovan. l. 2. Breviar. c. 30.
(*b*) Meſ. de ægrit. hepat. cap. 13.

Th. 58.

2. (*a*) *Inſolationes*; Inſolandi enim (veterum more) ſunt *hydropici*, h. e. ponendi, & locandi ſub ardente ſole, benè tamen obtecto capite, in arenam, & præſetim, ſi fieri

si fieri potest, ad (b) maris littora, ubi abstersâ continuò facie cum spongiâ, vel repetitis volutationibus se se exerceant, fricent, vel planè in eâdem (c) subterrare sese, & (d) sepelire patiantur. Hujus vicem supplent arena (e) fluviatilis, calidi à sole furfures, cineres, (f) acervi frumentorum &c. fieri non minus possunt ex mil. pulv. lap. pumic. cum fl. chamæm. sem. aneth. ruth. &c. sacculi; vel ex his benè dispositis & reconditis integer (g) vestitus pro patientis usu consui, ipsiq; accommodari potest, qvæ omnia miram abstergendi, (h) exsiccandi, & consumendi vim habent. Eundem in finem hydropicos capite excepto, calidum post panis extractionem intrare clibanum, inq; eo super tabulâ in ipso positâ pluries sudare jubent (i) alii. Qvibus hoc nostro seculo substituuntur (k) Laconica.

(a) Cornel. Cels. l 3. c. 21. Aët. l. 10. c. 28. Zacut. Lusitan. Prax. l. 8. c. 15. Mercurial. l. c.
(b) Aët. & Christoph. à Veg. l. multoties cit.
(c) Arnold. Villanovan. l. 2. breviar. c. 30.
(d) Aët. cit. l.
(e) Cels. l. cit.
(f) Victor Trincavell. consil. 32. Aët. l. c. qvi qvosdam in hos demersos ab hoc malo liberatos fuisse scribit.
(g) Gal. lib. 9. de simpl. med. qvalit.
(h) Victor Trincavell. & Arnold. Villanovan. l. c.
(i) Sennert. Prax. l. 1. part. 6. s. 2. c. 5.
(k) Sennert. l. 3. Prax. part. 6. s. 2. c. 5.

Th. 59.

3. *Frictiones*, qvæ fiunt primò leviores; deinde fortiores cum pannis (a) asperioribus, & satis duris, aspers. lap. pyrit. diligentiss. triti pulv. ol. item irino, in qvo sulph. sal. com. aut nitr. alqvid dissolutum sit &c. vel ol. laur. anethin. c. tantillo sal. sulp. & acet.

 (a) Paul

(a) Paul. Cels. Aët. Vid. Vid. cit. l. Sennert. l. 3. Prax. part 6. f. 2. c. 5.

Th. 60.

4. *Fomenta* circa abdomen, & Epatis regionem fiant ex decoct. in vino origan. puleg. absinth. Cham. thym. &c. cum sal. & sulph. ut & caryophyll. cinam. junco odorato &c. pulverisat.

Th. 61.

5. *Cataplasmata* ex stercore bubul. caprin. vel columbin. cum far. orob. & lupin. vel oxymel. de arthanitâ majus, de baccis lauri &c.

Th. 62.

Viscera tandem, & Epar imprimis *alterantia*, & *corroborantia* sunt spec. dialacc. diacurcum. diarrhodon. Abbat. aromat. rosat. diamarg. cal. conserv. rad. helen. anthos. absynth. agrim. veron. Epar lupi præparat. &c.

Th. 63.

Extrinsecus inungatur Epar ol. absinth. mastichin. nardin. anethin. &c. ugvent. Aregon. martiat. &c.

Th. 64.

Materia *Chirurgica* vel fientem, vel factum *hydropem* respicit.

Th. 65.

Fienti *Phlebotomiam* (qvicqvid etiam contra illam velint alii) omnino Celebrat, non tamen indiscriminatim; sed si malum hoc vel à Plethorâ, vel consvetæ cujusdam per sangvinem evacuationis suppressione suam trahat originem, reliqvæq; non prohibeant circumstantiæ, ex

Gal. 4. acut. com. 3. l. de ven. sect. c. 5. Hipp. 7. aph. 7. Paul. l. 3. c. 48. Cels. l. 3. c. 21. & aliis. Th. 66.

Th. 66.

Si ergò à Plethorâ, vena communis, seu Basilica dextri brachii;

Th. 67.

Si à Mensium suppressione, vena tali, vel poplitis unius, vel alterius, vel utriusq; pedis secanda est; si verò conjuncta est Plethora, primò vena brachii, deinde tali aperienda est;

Th. 68.

Si ab hæmorrhoidibus, applicatis, vel affixis hirundinibus, vel panno asperiore, vel succ. cœp. centaur. min. &c. præmisso leniente decocto aperienda sunt;

Th. 69.

Si verò aliqvalis virium imbecillitas venæsectioni contradicere videtur, in locum ipsius succedit crurum, in mulieribus imprimis, scarificatio.

Th. 70.

Facto *hydropi*, cum (*a*) præscripta ipsi non contulerint, *Chirurgus* levioribus primò, deinde fortioribus scarificationibus, factis 4. digitis suprà talum profundioribus (*b*) scissuris, iisq; apertis diu servatis, ut diutius duret aqvæ profusio, succurrere tentat;

(*a*) Mes. l. de ægrit. hep. c. 13.

(*b*) Cornel. Cels. l. 3. c. 21. Alexand. bened. l. 15. de cur. morbor. c. 40. Vid. Vid. de curat. membrat. l. 10. c. 5.

Th. 71.

Vel fonticulum 4. (*a*) digitis infra genu excitat, cujus (*b*) ope spirat jecur, & humores in habitu corporis, intimisq; visceribus infixi expurgantur.

(*a*) Gabriel Fallop. Tract. de caut. cap. 12.

(*b*) Zacut. Lus. Prax. l. 8. c. 15.

Th. 72.

Totius autem *curationis* (qvâ *hydropem anasarcam*, ut idiopathicum Epatis affectum attendimus) iste sit *ordo*, ille *modus*, ut

Th. 73.

Primò omnium, sufficienter habitâ causſæ cognitione, *diæta* præſcribatur conveniens;

Th. 74.

Hinc vel *vomitus* repetitis vicibus, pro viarum evacuatione provocandus, vel ipſa humorum *præparatio* incipiatur, & poſt hanc levior purgatio;

Th. 75.

Poſteà *vena* ipſa ſecetur, & poſt hanc reiteretur cùm *præparatio*, tùm ipſa per vices, ſc. ut vires ferre valeant, humorum *purgatio*;

Th. 76.

Ut verò ſemper habeatur virium ratio, omnibus iis medicamentis, qvæ præparant, & qvæ purgant, non tantùm miſceantur ea, qvæ Epar roborare, & ipſius imbecillitati ſubvenire nata ſunt &c. Sed â nimio qvoq; & freqventiore medicamentorum uſu, cùm ille viſceribus noceat, & facultatem natural. debilitet, abſtineatur. Satius enim eſt paulatim, & tutò evacuare, qvàm feſtinando perturbandoq; unà cum morbo ægrum è medio tollere.

Trall. l. 9. c. 2. Th. 77.

Qvibus peractis, ſingulis, vel alternis diebus exhibeantur manè decoct. *diuret.* aſſumptis prius troch. de eupat. vel de rhab. &c. Th. 78.

Poſt hæc illa, qvæ ſuprà pro expellendis per *habitum corporis* reliqviis præſcripta ſunt, conveniunt.

Th. 79.

Et ſi præſcriptis curandi modis *Anaſarca* non cedat, Hippocratis præcepto, ultimam â *Chirurgo* admoveri manum, profundiores ſcarificationes exerceri, fonticulosq; excitari concedendum eſt.

Problema.

An Rhabarbarum hydropicis conveniat?

FINIS.